



DISSERTATIO  
JURIDICO - INAUGURALIS,  
DE  
VIRIBUS JURAMENTI,  
REO SINE ULLO PRÆSUMPTIONIS ADMI-  
NICULO AB ACTORE DELATI.

*PROLOGUS.*

I.

**P**ertinax, & adhuc anceps inter Jurisconsultos (cùm practicos, tum theoreticos) est disceptatio: possit-ne actor, omni alio probationis genere destitutus, reo, ne vel minimis gravato indiculis, deferre jusjurandum *litis* (quod vocant) *decisorium*. Ajunt, negantque divisi interpretes: nec rationes hisce sectis deesse videntur. Non memorabimus plura dissidentium nomina, nisi duorum duntaxat, qui tantâ in tribunalibus pollent authoritate; ut, si hâc solâ pugnetur,

A

netur,



netur, ipse nescias, cui sit assurgendum. Operæ igitur pretium fuerit, utriusque partis expendere momenta; quæque tractarunt vel paulò frigidius, vel obscurius, luce donare vivaciore.

2. Dimicantes provocamus Architalassos: MEVIUM nempe *part. 6. Decis. 405.* & LEYSERUM in *medit. ad pand. specim. 135. medit. 5.*  
 „ Jusjurandum (ita ait posterior) etiam ab illo,  
 „ qui nullum planè, nec vero simile quidem,  
 „ argumentum pro se habet, deferri potest. „  
 Contrà priori placet, iis in circumstantiis locum non esse jurijurando. „ Idcirco (inquit) non  
 „ fuit admissa delatio juramenti judicialis in ta-  
 „ li specie, ubi actor exigebat pro ædificii impen-  
 „ diis centum ultra ea, quæ in chartâ exhibitâ  
 „ reus promiserat: Cùm additum esset, pro sum-  
 „ mâ expressâ omne, quo opus esset, ædificari  
 „ debere.

## CAPUT I.

*Referuntur agentis sententiæ momenta.*

3. Duplicis sunt generis: quædam à ratione, quædam ab expressâ Legum auctoritate suppeditari,